



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XXXV. An sint Angeli, & vbi, & quando creati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



D I S P U T A T I O  
TRIGESIMA QUINTA

An sint Angeli. & vbi, & quando creati?

- Sect. I. An & unde constet Angelos esse?
- Sect. II. Quo tempore & loco creati sint Angeli?
- Sectio III. Refutantur qui volunt Angelos fuisse ante mundum creatos.

**A**ngelos esse non probat D. Thomas nisi obiter art. 1. qu. 50. affirmans, vt perfectum sit Vniuersum, debere in eo dari aliquas creaturas incorporeas, quas Angelos vocamus. De illorum verò productione agit qu. 61. & docet 1. Omnes Angelos causari debere. Omne enim quod est per participationem, causatur ab eo quod est per essentiam; sicut omne ignitum causatur ab igne. 2. Angelos non esse ab æterno productos, sed in tempore: quia fides docet solum Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum ab æterno esse. 3. Non fuisse creatos ante mundum, sed cum ipso. Idque conuenienter: quia sunt pars Vniuersi. Nulla verò pars perfecta est à suo toto separata. Non est igitur probabile Deum, cuius perfecta sunt opera, creaturam Angelicam seorsim ante alias creaturas produxisse. 4. Angelos fuisse creatos in supremo mundi loco, siue ille cælum empyreum, siue qualitercunque nominetur. Quia sunt nobiliores vniuersi partes, toti naturæ corporali præsertim. Unde conuenienter fuit vt in supremo corpore crearentur. Hucusque D. Thomas: cuius doctrina sequentibus sectionibus fufius explicabitur.

SECTION I.

An sint Angeli, & unde id constet?

I.  
Angeli nomen quid significet, & unde dictum?  
  
Ita docent Gregor. homil. 34. in Euangelio. Isidor. lib. 1. de summo bono sup. 12.

**A**ngelorum nomine intelliguntur naturas illas intellectuales, medias inter Deum & homines: & Deo quidem inferiores, sed hominibus superiores, quas Gentiles Philosophi intelligentias, Genios, Deos secundarios, cælorum animas, & species separatas appellarunt. Quamquam Angeli nomen, si eihymon attendas, non naturæ cuiuspiam, sed officij nomen est, idem significans quod Latine nuncius. A Græco ἀγγελος, id est, nuncio, cuius officij ratio interdum ipsi homines vocantur Angeli in Scriptura: vt Ioannes Baptista Matth. 14. vers. 1. & sacerdotes, Malach. 2. vers. 7. Et Episcopi 1. doc. 1. 2. & 3. & Chri-

stus ipsi Isa. 9. v. 5. iuxta versionem Septuaginta, & Malach. 3. vers. 1. Hinc etiam prædictis intelligentiis specialiter nomen illud inditum fuit, vel nomenclastice, quod per eas mandata & illustrationes diuinæ referantur ad homines, vt affirmat S. Dionys. cap. 5. de cælesti Hierarchia. Licet hoc officium non omnibus conueniat, communiter solum & ordinariè. Neque enim malis, vel assistentibus dumtaxat: quibus tamen omnes Angeli nomen commune est, ab illa scilicet notiori nobis, & in Scripturis vulgationi ratione, impostum. Dari autem huiusmodi naturas intellectuales apud Catholicos indubitatum est, Scripturæ passim id affirmante, quæ sapissimè docet Angelos esse, quales ante descripsimus. Primum enim illo inducit cum Deo & hominibus colloquentes de rebus diuinis & sensum superantibus; adeoque intellectu præditos, Genes. 1. 8. & sequentibus:

Probat esse Angelos ex Scriptura.



Iudic. 2. Iſa. 6. & totis ferè libris Danielis, Tobia, & Apocalypſis. Deinde affirmat illos eſſe Deo ſubiectos, à quo mittantur in miniſterium, quemque velut Dominum & Deum ſua laudent, colant, adorent. Hebr. 1. verſ. 14. Pfalm. 96. verſ. 7. Daniel. 3. verſ. 8. Apoc. 22. verſ. 9. & alibi. Tertio, aſſerit illos eſſe ſuperiores & præſtantiores hominibus, 2. Petr. 2. verſ. 11. vbi de malis Angelis dicitur, *Angeli virtute & fortitudine cum ſint maiores: & Pfalm. 118. Miſiſti cum paulò minus ab Angelis*, quod etiam de Chriſto ipſo ſecundum naturam humanam ſpectato & Angelis inferiore ſecundum illam, interperantur D. Paulus Hebr. 2. v. 9. S. Auguſt. in tract. de Carnico nouo cap. 7. Tertul. lib. de carne Chriſti cap. 14. Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 4. Huc etiam facit quòd Scriptura, ſi quos hominum præ cæteris ob ſingularem aliquam prærogatiuam extollit, eos cum Angelis velut perfectioribus comparat; 2. Reg. 14. *Domine mi Rex ſapiens es, ſicut ſapientiam habet Angelus Dei.* Actor. 6. *viderunt faciem eius (Stephani) tanquam faciem Angeli.* Galat. 4. *Sicut Angelum Dei excepiſtis me.*

Auguſt.  
Tertull.  
Ambroſ.

3.  
Hæc probatur ratione.  
Lactant.  
Vaſques.  
Deſi.

Secundo, ad idem contra infideles confirmandum valet poſſiſſimum ratio ab experientia Magorum & Energumenorum petita de qua Lactat. 2. inſtit. cap. 15. Vaſq. diſp. 178. cap. 1. & ſuſſinè Deſio in diſq. Magic. Videmus enim multa à Magis & ab Energumenis fieri, quæ in aliam cauſam reijci non poſſunt. Non enim in Deum vt cauſam peculiarem, à quo quòd nefaria pieraque, & turpiſſima, à Deo prohibita, Deoque indigniſſima, in perniciem hominum, & odium, atque iniuriam ipſius Dei, à quo potiùs expectanda remedia, ſicut non raro ab illo tribuntur. Conſtat enim ad inuocationem dæmoni nominis frequenter euaneſcere apparitiones demonum, & conatus Magorum, malefici diſſolui, energumenos liberari. Adde arreptitios & energumenos medicamentis & muſica, ſaltem per aliquod interuallum, interdum ſanari: ea ſcilicet de causa, quia demon eos torquere nequit, niſi prauoſeorum humores concitant; quibus niſi vteretur, neque eos vexare poſſet, neque multa mira in eis operari. At qui, ſi Deus illa proximè faceret, non egeſet humoribus corporum: ac proinde nec medicina, nec alio remedio corporeo. Eius effectus impediretur. Adde etiam illas ſubſtantias, quæ per Magos vel arreptitios operantur, eſſe mendaciſſimas, fallaciſſimas, improbiſſimas: quandoquidem ad ſumma ſœdera ſollicitant, à Dei contemptum, & odium, ad blaſphemias, ad veneficia, & alia quæ Deus ſanctiſſimus velut cauſa peculiaris præſtare nequit.

At neque etiam iuici poſſunt in homines ipſos, quorum vno aperte ſperat efficere, vt ſaxa & ſtarna quæſtis quibuſlibet ad arbitriù reſpondeant, reuelare occultiſſima, enūciare quæ ſunt in locis remotiſſimis, quò ſenſus non pertingunt, excitare momento tempeſtate, effringere fores & ſaxa ſine cōtactu

ſuppoſiti, loqui linguis peregrinis & ignotis, nullo vſu, nullaue diſciplina perceptis.

Neque item in alias creaturas inferiores hominibus, & irracionales: quia, quæ diximus, ſine rationis vſu non ſunt. Nā v.g. quod energumenus idiota loquatur derepente & expedite idiomaſ aliis, aut de rebus procul poſitis, præteritis etiam ab diſſimilis, manifeſtando omnes circumſtantias, ite de ſcientiis & artiſtibus quibuſlibet, non poteſt fieri ſine ſubſtantia intellectiua, quæ per eos homines loquatur, diſtincta ab anima ipſorum. Nam anima ipſorum per ſe ſola, aut per quamlibet humorum alterationem phyſicam, imò per applicationem cuiuſvis cauſæ phyſicæ non intelligentis, nequit aſſeſſe talem notitiam, quæ tanto ſtudio humanæ indigeat, aut planè etiam humanum ſtudium ſuperet. Quàm multa enim contingentia ſupponit quò v.g. concurrunt ad formationem vniſus integri idiomaſ, quæ non minus implicat cognoscere quempiam ex caſuali concuſſu, aut alia applicatione cauſarum naturalium, quàm implicaret vt ſine directione cauſæ intelligentis, concuſſu characterum formarum illas aut Aeneis. In ſumma, omnia quæ oſtendunt nos eſſe intellectiuios & liberos, idem probant de ſubſtantia energumenis aſſiſtente, vel Magis, quam aliunde cōſtat non eſſe animam ipſius energumeni, vel Magi.

Confirmatur, quia Magorum opera ſunt ad ſigna quædam, & per pacta & fœdera, iuxta eorum voluntatē qui ipſis vtuntur. Ad ſigna non mouent niſi potentias cognoscentes, quibus aliquid ſignificant. Pacta quoque, & fœdera, ſpectant ad cauſas intelligentes. Nam quæ intellectu & ratione carent: nec pacta nōrunt, nec quando ſe operandum ex pacto. Adde quòd ſpiritus illi Magici eligunt ad Magorum arbitrium in quid agant. Vt quando in quempiam remotiſſimū, à Magis designatum, morbu aut ſoporem immittunt, vel eius vultum repræſentant in ſpeculo, relictis intermediis, qui æquè, imò magis deberent ſe affici, ſi per cauſas naturales & neceſſarias, ſine electione voluntaria id fieret. Etenim cauſæ naturales operantur magis in corpora ſibi magis vicina & ſubiecta, atque eodem modo afficiunt quæ ſunt eiſdem effectibus capacia: neque eligere poſſunt, vt pluribus æquè ſubiectis & capabibus, hoc potiùs quàm illud repræſentent, aut morbo vel ſopore afficiant.

Denique licet non appareat euidenter impoſſibile, hæc omnia præſtari poſſe ab animabus ſeparatis à corpore, quare plurima mala ſunt, & docta idiomaſ varia, habentque vim mouendi tum ſeipſas, tum alia etiam corpora, poſſuntque facile fingere ſe eſſe demones, & multa præſtare, quæ à Magis & ab energumenis ſunt: credibiliſ tamen eſt, & moraliter certum, vim motiuā & cognoscentiuam, quantum experimur in magicis effectibus, & energumenicis, maiorem eſſe, quàm vt conueniat animabus ſeparatis naturaliter ſpectatis. Etenim nōrunt actus internos, ſaltem imaginationis, quos nullo dato exte-

experientia  
Magorum  
& energumenorum  
probat effectus  
magis esse  
demonum

6.  
Anima separata  
non  
poſſunt  
illorum  
effectus  
præſtare



no iudicio produunt. Atqui tanta perspicacitatis in anima nostra nullum apparens vestigium est. Item mouent immania pondera supra vim plurimorum hominum, & domos ingentes, oppida integra, terramque ipsam concutiunt. Quae plura probabiliter vim cuiusque animae separatae excedunt. Ut autem plures tam constanter, tamque frequenter, momentò ad placitum magorum conueniant, ut simul praestent quod vnica non potest, parum probabile videtur.

Ac licet animam separatam neque omni vi motiua localiter sui ipsius & aliorum priuatam putem, Deo saltem supplente id quod deest ex parte organi; neque etiam omni cognitione, in qua praecipuum exercitium vitae intellectualis consistit: existimo tamen vtramque naturaliter nihilo esse maiorem in statu separationis, quam sit in statu coniunctionis: nec quidquam animam intelligere nisi sensibilia, vel ad modum sensibilibus, per species in corporibus haustas ope sensuum, aut per aliquid aequiuale, nempe per determinationem obiecti materialis, aut per species à Deo infusas, suppletas defectum acquiriturum. Alioquin vnio animae ad corpus foret illi contranaturalis, si per eam priuaretur operationis genere & modo praestantissimo; ut sensibus & sensibilibus rebus addiceretur.

Adde quod longè probabilius est, gradum spiritus inchoatum in anima, completum esse in spiritibus illis. Qui etiam se ab illa diuersos profitentur, tum vltro, tum ad acti exorcismorum vi. Atque hunc esse Ecclesiae sensum ex iisdem exorcismis certissime constat. Quorum vis adeò nota est, ut ad quamuis pertinaciam frangendam sufficiat, & ad suadendum obstinatissimis hominibus non solum esse daemones, sed Deo quoque & Ecclesiae ministris subijci, à quibus multa inuiti & agere & pati coguntur. Athei quoque & Semiathetici facilius sibi persuadent haec ab intelligentijs fieri, quam ab animabus separatis. Eaque experientia conuictos plurimos respuisse testatur Vasq. disp. 178. cap. 1. in fine. Quare contra illos sufficit probasse efficaciter & euidenter, ea quae supra diximus, fieri ab aliquo spiritu inuisibili, qui non sit anima Energumeni vel Magi, vel alia substantia corporea ex illis quae apparent, quae solas ipsi admittunt. Omnia enim sensibus corporeis metiuntur, ut olim Sadducaei Actor. 23. v. 8. neque agnoscunt animae immortalitatem, sed putant attingi cum corpore. Mitto argumenta ex caelorum motu, vel ex vniuersi perfectione petita, quia infirmiora.

Fatendum tamen est non defuisse ex sanctis Patribus qui praedictos effectus ad animas separatas retulerint. Sic enim sensit Iustin. Martyr in Apologia ad Antoninum Imperatorem. D. quoque Augustin. lib. de quantitate animae cap. 34. & lib. 83. quaestionum q. 54. & lib. 3. contra Maximium cap. 25. sensisse videtur inter Deum & ani-

mam, nullam esse mediam substantiam spiritalem. Sed Augustin. iisdem locis cognoscit dari Angelos, quos lib. 11. de ciuit. cap. 5. affirmat dignitate natura praecedere caetera omnia quae à Deo sunt condita. Quare quod superius dixit, benignè interpretandum est de anima secundum gradum genericum spiritus creati accepta, inter quem gradum, & Deum, nihil medium est: vel cogitandum ex ipsomet lib. 1. retractio-num cap. 26. Vbi dixit, inquit, quod omni anima melius, id Deum scimus: magis di. i debuit, omni creato melius.

Aristoteles quoque in problematis sect. 30. q. 1. in med. sensit animam ex melancholia laborantem posse ea omnia praestare, quae faciunt Energumeni. Valens verò Valent. tom. 1. disp. 4. q. 1. puncto 1. in fine, ait, quae ab ipsis dicuntur & fiunt, posse in primam causam solam rejici, à qua sic tractentur ob fines nobis ignotos. Cum enim Energumeni in his non peccent, vapore sui impores, non est euident, cur sic à Deo ipso non possint agitari. Addi potest non esse quod euident, cur sicut licet Deus oderit peccatum, actum v. g. odij ipsius Dei, vel blasphemiae, quem etiam prohibet grauisse: tamen ad actus illos concurrat homine volente, & se ac Deum quodammodo determinante: ita licet oderit ea, quae à Magis sunt positis signis, veretque ne huiusmodi signa ab ipsis ponantur: tamen positis signis liberè operetur ea quae dicuntur fieri à Magis, à quorum mala voluntate determinatur quodammodo per modum causa priuati.

Sed vterque perspicue fallitur. Aristoteles quidem: nam euident est non posse Energumenum, alioqui imbecillum, quacumque alteratione per melancholiam facta, effringere fores aut fenestras, & concutere domum totam, etiam sine contactu suppositi. Talia enim signa edere solent daemones de corporibus exeuntes. Neque item secreta cordium patefacere, aut abdicere anima & in loca remota facta, ad quae sensus externi nullo modo pertingunt, per quos tamen nostra omnis cognitio hauritur naturaliter. Neque etiam ut peritè & constanter loquatur idiomatis sibi ante ignotis, quod cum ex libera hominum institutione significent, nulla melancholice perturbatio, aut alia quouis immutatio naturalis, vel humor corporis, potest eorum notitiam repentinam praestare. Etenim vires causatum omnium naturalium, id est, non liberarum, determinatae sunt, eodemque semper modo operantur, & eodem effectus. Ergo nunc ita operantur, atque operarentur si non essent instituta, ea linguarum genera, quae homines liberè instituerunt. Atqui seclusa institutione, non essent ea linguarum genera. Ergo neque tunc causa illa naturalis praestaret eorum cognitionem, neque nunc etiam praestat. Quare non potest per vilam causam naturalem addisci quòd ea genera linguarum fuerint instituta, & ad quae

Quid possit anima naturaliter extra corpus?

Vis exorcismorum probat esse daemones.

Vasquez.

Iustin. Aug. st.

Non possunt illi effectus tribui melancholice.



Proindeque necessarium est Energumenum agitari aliquo Spiritu, qui aliunde illa nouerit.

16.  
Occurritur  
obiectioni.

Neque infes posse naturaliter Energumenum incidere in eam temperiem imaginationis, qua linguarum peregrinarum institutores affecti tum erant, cum eas instituerent. Nam ut omittam, institutores plures simul fuisse, variæque affectos, & varijs temporibus tunc hæc, tunc illa instituisse uocabula, quæ simul Energumenus uno tenore pronunciat: Illa affectio qualiscunque nullam habet necessariam connectionem cum libera uocis efformatione, & impositione ad hoc potius, quam ad illud significandum. Et nos quidem quomodo-cunque sumus affecti, eas uoces formamus prout uolumus, & per illas in eiusdem significati-noticiam uenimus. Quod uero Energumeni quidem ad certas lunæ peridos torqueantur magis: tantum probat spiritum insidentem uti humoribus & affectionibus corporis, quæ tunc abundant copiosius, uel ad torqueendum aptiores sunt. Multa etiam in hoc genere simulare dæmones ut blasphemantur creatura Dei, notarunt sancti Patres, Origenes tract. 4. in Matth. Hieron. in cap. 4. Matth. Chrysostomus serm. 52.

Origen.  
Hieronym.  
Chrysol.

17.  
Non pot  
sunt enim  
in Deum  
reijci.

Quoad Valentiam, dico similiter euidens esse primo, multa fieri, saltem à Magis, operari spiritus alicuius potentioris libere & non sine peccato. Ergo saltem illa probant dari intelligentias à quibus fiunt: quia Deo uelut causa per se illa fieri nequeunt. Secundo, euidens etiam esse non posse Deum per se, ut causam particularem, operari quæcunque sunt ab Energumenis, u. g. producere uoces, aut similia, quibus homines per se inducantur ad peccatum, & ad falsum. Alioqui tentaret ad malum, & foret causa particularis & moralis peccati, ad quod per se induceret. Certè si posset per se producere omnia quæ non sunt peccata, defectu libertatis subiecti, etsi ad peccatum sollicitantia & ad falsitatem sequeretur primo, posse moraliter sollicitare ad malum, & ad religionem falsam: neque minus ad cooperari, moraliter, quam cooperetur dæmon oracula è statuis edita, & alia falsa miracula, facta sunt libertate subiecti. Ex quo secundo sequeretur nos posse prudenter dubitare, si tunc uera omnia quæ tenemus tanquam à Deo reuelata. Si enim potest ad falsum sollicitare; dubitare possumus nunquam interdum illa potestate sit usus. Tertio, euidens est maxime indignum, & indecens, ut producantur homine per se solum, uelut causa specialis, odium Dei: Ergo similiter ut producat externas affectiones, blasphemias, hæreticas, impias, & uoces institutas ad blasphemandum &c. supposita earum institutione. Neque minus indignum & indecens est ut Deus fingat se ad imperium Exorcistarum obedire, cogi, uiri, expelli, & alia, quæ Dei nomine inuocato fiunt, in Energumenis: uel ad contactum

reliquiarum clamare se torqueri, & cogi inuitum ad multa præstanda: & infer alia, ad Deum & Christum in Eucharistia adorandum, ad se submitendum pedibus Exorcistarum, & similia. Aliud autem est Deum cooperari, ut causam primam, ad entitatem actus peccati à creatura positi: & aliud, Deum solum ut causam peculiarem operari talem actum aliquo signo posito, non in modum supplementi generalis causarum secundarum, & ex debito causa primæ; sed instar causa particularis obsequentis moraliter malæ hominum uoluntati. Denique si Deus talibus signis & pactis mouetur: multo conuenientius esset ut nobis obsecundaret ad bonum, signis positis ex instituto, sicut Magis obsecundat ad malum. At hoc non facit, ut experientia notum est: ergo illud multo minus.

## SECTIO II.

Quo tempore & loco creati sint Angeli?

18.  
Constat primo ex dictis disp. 32. sect. 1. Angelos esse à Deo productos: nimirum ex generalibus festimonijjs diuinis, & rationibus naturalibus, quibus ibi ostendimus quidquid est extra Deum, ab ipso esse. Deinde speciatim id testatur Apostolus ad Coloss. 1. In ipso condita sunt uniuersa, siue throni, siue dominationes &c. Et Daniel. 3. inter opera Dei primo loco recensentur Angeli. Et Psal. 145. Laudate eum omnes Angeli eius &c. Laudate eum sol et luna &c. Quoniam ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Concil. quoque Lateran. cap. Firmiter, specialiter ait naturam Angelicam à Deo fuisse creatam. Idque confirmat experientia, quæ constat Angelos Deo subijci, eique famulari; bonos quidem, sponte: malos autem inuitos, ut in exorcismis appareret. Atqui si essent à se, non essent ita Deo subiecti, neque Deus in illos tale dominium usurpare aut exercere posset. Ens enim à se, ut non pendet ab alio in esse, ita neque in conseruari uel operari: sed ex summa illa felicitate essendi à se, habet omnem perfectionem, & independentiam à quouis alio.

19.  
Constat secundo ex eadem disp. sect. 2. Angelos proprie & strictè sumpta creatione fuisse productos, quia ex nullo subiecto educi potuerunt: ac proinde omnes immediate à Deo solo, nullo alio effectiue & concurrente physice: quæ uis creandi, de facto saltem, competit uni Deo, ut ibidem ostendimus. Quare errauit Auicenna 9. Metaph. cap. 4. existimans Deum creasse immediate primam tantum intelligentiam: ab hac secundam productam fuisse: à secunda tertiam: & sic deinceps: ab infima mundum corporeum, Errarunt pariter Valentiani suos Aeonas, alios ab alijs ortos conminis

Et quidem  
omnes im-  
mediate à  
Deo.



Baron. Pammel.

14. Fuerunt creati in tempore.

centes, vt ex antiquorum testimonijs referunt Baron. Anno Christi 145. & Pamme- lius initio Commentarij in librum Tertul- lianij contra Valentinum.

Constat tertio ex dictis Disp. 33. sect. 1. Angelos non ab aeterno, sed in tempore fuisse creatos. Non quasi ab aeterno creati nequie- rint (nam potentia creandi aeterna est in Deo, & Angelus quantum est ex se potest esse aeternus a parte ante, sicuti est a parte post; & sufficit naturae prioritas inter cau- sam & effectum, siue liberum, siue necessa- rium; & creatio, seu productio ex nihilo, dicit tantum nihil subiecti, at non dicit ni- hil actuale terminari, sed virtuale tantum & possibile, quatenus res ab aeterno creata po- tuit non creari, & nihil esse, defectu crea- tionis Deo liberae: ac demum quaecunque in contrarium afferuntur, vel non adeo ma- gni momenti sunt, vel aequè pugnant contra processiones diuinas, aut actus Dei liberis & aeternis, aut ipsam Dei aeternitatem vir- tualiter & aequialiter (necessariam) sed quia Deo placuit producere quaecunque produxit, & collectim, & diuisim, post ipsorum non-existentiam, ac proinde non ab aeterno. Iuxta illud Prouer. 8. v. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: & ex- pressam definitionem Concilij Lateran. cap. Firmiter, vbi sic habet: Deus simul ab ini- tio temporis utramque de nihilo condidit creatu- ram spiritualem, & corpoream, Angelum scilicet & mundanum: & deinde humanam &c. Ex quo loco vterius constat Angelos non ante mundum corporeum, sed simul cum ipso fuisse productos. Loquitur enim Con- cilium de similitudine temporis, vt patet ex verbis illis, Deus simul ab initio temporis. Scriptura quoque Genes. 1. v. 1. significat non ante caelum & terram fuisse creatos. Alioqui non esset verum quod absolute ait, In princi- pio creauit Deus caelum & terram. Vbi sermo est ad literam de principio temporis iuxta vim vocis Hebraicae beresit, id est, initio, primum, ante omnia. Licet D. Augustin. allegorice exponat de Verbo seu Filio, qui est sapientia Patris, & principium mundi in genere causae efficientis & exemplaris.

August. lib. 1. de Genesi ad lit.

15.

D. Thom.

Accedit etiam ratio congrua D. Thom. q. 61. art. 3. Quoniam Angeli sunt pars vniuersi, & spiritualibus scilicet & corpo- reis subordinatis inuicem compositi. Ergo conueniens fuit produci simul ea omnia. Quae tamen ratio non concludit debuisse produci simul mathematicè, sed moraliter tantum: id est, non diu ante, sed quasi mo- raliter continuata actione, vt sex diebus fa- ctum est. Alioquin enim astra, & planta, & animalia sunt partes vniuersi, aequè ac caelum & terra: quae tamen simul & eadem die cum illis non sunt facta.

16. Non ante primum diem crea-

Censeo nihilominus Angelos ne mathe- maticè quidem, ac nullo modo ante pri- mum diem creationis vniuersi, & ante ce- lum & terram fuisse productos. Non ante

primum diem: quia Exod. 20. v. 11. dicitur Deus sex diebus fecisse caelum & terram, mare, & omnia quae in eis sunt. Angelos autem in eis esse certum est. Non etiam ante caelum & terram, propter illud Genes. 1. v. 1. simpliciter & ad literam, quoad fieri po- test, intelligendum, In principio, id est, pri- mum & ante omnia, creauit Deus caelum & terram. Et Prouerb. 8. v. 22. Sapientia di- uina se cum Deo fuisse affirmans antequam quidquam faceret a principio, subdit v. 23. & sequentibus, vult paraphrasticè, Ante- quam terra fieret &c. quando preparauit caelos aedera, &c. quasi idem sit, Antequam quid- quam faceret, & antequam terram, & ce- los, & alia ibidem recensita. Puto etiam Mosem nomine caeli, comprehendente tacite Angelos, quorum in Genesi mentionem fa- cit sapissime. Vt è Patribus sentiunt Gre- gor. lib. 27. Moral. cap. 24. & Beda initio libri Hexameron: vbi notat Mosem de ter- ra subiunxisse v. 2. Terra autem erat inae- vacua: de caelo non item: quoniam, inquit, mox creatum, suis incolis, id est, Angelis repleum est. Adde Genes. 2. v. 1. ita con- cludi narrationem operis sex dierum: factus perfecti sunt caeli, & omnis ornatu eorum; He- braicè, tseuaam, id est, exercitus eorum: quo nomine comprehendere possunt non stel- lae tantum & astra, D. Hieronim. 4. v. 19. sic dicta: sed & maxime Angeli, vt constat ex Luc. 2. v. 13. & Apoc. 12. v. 7. vbi An- geli vocantur caelestis exercitus, & boni cum malis praeliantes inducuntur.

tionis mu- di, nec ante caelum & terram.

Sed cum caeli, pri- mo 1. die.

reg. 14. Beda.

Vterius, quod primo illo die, non post, fuerint conditi, confirmari ex eo potest, quod Iob 38. v. 6. & 7. cum Deus terrae fun- damenta appenderet, iam erant & iubila- bant omnes Filij Dei, hoc est, omnes tur- ma Angelorum, Col. citemalaia, vt vertit Paraphrasas Chaldaicus. Quod etiam magis consonat definitioni Latranensis, cap. Firmiter, Deus simul ab initio temporis &c. Nam particula, simul, significat eodem die & instanti temporis mathematicè. Alio- quin enim homo simul moraliter creatus fuit, de quo tamen Concilium ibidem ait deinde humanam.

17.

Lateran.

Quod verò attinet ad locum in quo pro- diti sunt, probabilius est caelum fuisse. Quae locus aptior fuit ipsorum creationi: quia naturae puriori debetur locus purior. Om- nino autem conueniens fuit creati alicubi intra hoc vniuersum, cuius sunt partes, cui- que magna ex parte praesident. Male tamen nonnulli probant conditos fuisse in caelo, quia inde deiectioni sunt qui peccarunt. Nam Adam è Paradiso terrestri expulsus quidem fuit Genes. 3. v. 23. alibi tamen conditus Genes. 1. v. 27. Posito autem quod eodem in loco peccauerint, quo fuerunt producti, probabilius censeo productos fuisse in alio caelo inferiori, quam in Euphyreo. Quia non decuit Beatorum sedem inquinari pec- cato: & statui viatorum minus conueniebat locus termini. Neque caelum Euphyreum

18.

Creati fue- runt in celo lo ipso.



creatum fuit solum primo die, sed & ali-  
quod aliud, ut etiam plura supra firma-  
mentum, & coelos omnes sydereos secundo  
die creatos, in quibus quarto die Sol & Lu-  
na, aliaque astru fuerunt primò facta. Cu-  
iusmodi esse dicunt Astrologi communiter  
primū mobile: & quidem vox Hebræa *su-  
mājn*, Genes. 1. est dualis numeri, ex quo  
sumi potest coniectura, duos coelos tunc  
fuisse creatos. Adducunt autem qui illud Isa.  
14. v. 13. de Lucifero allegoricè dictum,  
*Ascendam in celum, & ero similis altissimo*. Si  
enim, inquit, iam in celo Empyreo fuis-  
set, non desiderasset illuc ascendere, neque  
in aliud superius, quod nullum est. Sed ille  
locus nimis probat. Ibidem enim v. 14.  
immediatè post subditur, *Ascendam super al-  
titudinem nubium*. Unde similiter probaret  
quis infra nubes creatum fuisse. Ac certum  
est non omnia de Rege Babylonis ad lite-  
ram ibi dicta, posse Lucifero exactè accom-  
modari. Sat est illo loquendi modo eius  
superbiam allegoricè exprimi.

Rupertus quidem lib. 1. in Genes. cap.  
11. & Eugub. lib. 8. de perenni Philoso-  
phia cap. 21. censent fuisse creatos in regio-  
ne æris. Sed aliq̄ nixi fundamento. Quia  
scilicet constare putant tenuibus corpori-  
bus ex ære formari. Quidam verò alij  
apud August. lib. XI. de genesi ad literam  
c. 17. existimant bonos in celo, malos autem  
inferiùs in mundo productos fuisse. Sed mi-  
nus probabiliter. Tam quia pota illa Ange-  
lorum Rescriptura vno potius loco creati de-  
buit: tum præcipuè quia non expediuit an-  
te peccatum malos à bonis separari, & quasi  
ad peccatum loco ipso destinari, vel ante  
culpam puniri, vt docet & expendit idem  
S. Augustin. cap. cit.

SECTIO III.

Refutantur qui voluit Angelos fuisse ante  
mundum creatos.

Contra id quoque quod supra diximus,  
Angelos non ante mundum fuisse crea-  
tos, senserunt multi ex Græcis Patribus, Ori-  
genes, Basilius, Nazian. Chrysof. Damasc.  
et alij credimus. Cassiano collatione 8. cap.  
7. indubitatum apud fideles omnes id fuit.  
Quod forte mouit S. Thomam, Cassiani le-  
ctorem assiduam, vt diceret q. 61. art. 3. Pa-  
tres Græcos concorditer ita sensisse. Idem  
que multos Recentiorum mouet, vt existi-  
ment contrarium non esse de fide, nec defi-  
nitur à Concilio Lateran. cap. 1. de Sum-  
ma Trinitate, sed tantum obiter & ex occasione di-  
ctum.

Fundamentum Authorum citatorum præci-  
cipua fuerunt. Primò, quod Tit. 1. r. 1. & 2.  
dicitur vita æterna promissa ante tempora  
secularia, Græcè *πρὸ χρόνων αἰώνων*, id est,  
ante tempora æterna. At non potuit pro-

mitti, nisi essent creaturæ intelligentes, quibus  
promitteretur. Non erant autem ho-  
mines: ergo Angeli. Secundò, Ecclesiasti-  
ci 1. v. 4. dicitur, *Prior omnium creata est sa-  
pientia*. Non diuina, quia creata. non hu-  
mana, quia sexto die producta. Ergo Angeli-  
ca. Tertio, Iob 41. vers. 14. de Lucifero sub  
nomine Behemot dicitur, quod ipse sic  
principium viarum Domini. Ergo ante mundum  
corpoream conditus fuit. Quarto, valde  
conueniens fuit Angelos, vt natura, ita &  
tempore productionis cætera præcessisse.  
Addunt denique Gennadius & Cassianus, ne  
Dei bonitas maneret otiosa, sed haberet in  
quibus per multa ante sæculi liberalitatem  
ostenderet.

Ad quæ primùm Respondeo, fuit plures  
de Patribus contrarium sensisse, vt Epipha-  
nium, Theodoretum, Augustinum, Gregorium  
magnum, Bedam, Anselmum, Rupertum,  
S. Thomam, & Latinos omnes qui post Au-  
gustinum scriperunt. Secundò dico rem in  
Concilio Lateran. satis definitam videri,  
quod Concilium Oecumenicum fuit omnium  
celebrissimum, ex mille ducentis Patribus: &  
in ipsa fidei professione, initio præmissa, mo-  
re Conciliorum, ante damnationem errorum,  
Abbas Ioachim, habet verba supra relata:  
*Is ab initio temporis utramque, scilicet nihilò condidit  
creaturam spiritalem & corpoream: Angelicam  
& mundanam: deinde humanam &c.* Titulus  
capitis est, *de Summa Trinitate & fide Catholi-  
ca*. Initium verò, *Firmiter credimus & simpli-  
citer confitemur*: nec aliud quicquam hæcetur  
toto illo capite, quod non censetur esse de  
fide, ab ipsis aduersarijs, præter hoc vnum  
modò relatum de productione & spirituali-  
tate Angelorum: de qua tamen eodem tenore  
& modo Concilium loquitur, ac de san-  
ctissima Trinitate, Baptismo, Eucharistia, &  
alijs fidei dogmatibus.

Negari etiam non potest articulū, simul,  
intelligendam esse de similitudine temporis.  
Nam licet aliqui sumi posset, sicut hebraei  
*iahad*, in sensu collectiuo, non tempo-  
rali, quasi diceret, Deus pariter, seu æquè,  
condidit utramque creaturam: vt sumitur in  
quibusdam alijs Scripturæ locis, *simul inspi-  
ciens & stultus peribunt*, id est, æquè peribunt,  
eodem genere mortis corporeæ, licet non si-  
mul tempore & eodem instanti, Psal. 48. v.  
1. Et, *Qui vivit in æternum, creatus omnia simul*,  
Græcè, *ὁμοῦ*, id est, communiter pariter,  
vnum æquè ac aliud, Ecclesiastic. 18. v. 1  
non posse tamen ita sumi in præsentia patet  
ex verbis proximè sequentibus, *Ab initio  
temporis &c.* Deinde *humanam* quæ duratio-  
nem temporis aperte significant.

Adde quòd verba illa Concilij, *simul ab ini-  
tio temporis*, vel significant initium duratio-  
nis creatæ, vt ego verum esse existimo: vel  
initium durationis corporeæ & motus cele-  
stis. Et quicquid dicatur ab Aduersarijs, fal-  
sum erit, in eorum sententia, quod ait Con-  
cilium, simul ab initio temporis conditam  
fuisse utramque creaturam, purè spiritalem,

MARTINUS  
NICUS  
LIB. I. DE ANGELIS  
CAP. III.



& parte corpoream, deindeque humanam  
mi. Nam ex corpore & spiritu. Nam si dicant  
significari verbis illis initium durationis  
create: falsum est quod initium illius duratio-  
nis Deus creavit utramque naturam, si  
Angelica prius creata fuit, & prius cepit  
durare. Si autem intelligant verbis illis, ini-  
tium durationis corporeæ & motus coele-  
stis, falsum pariter est utramque naturam  
fuisse creatam initio illius durationis, si An-  
gelica fuit ante creata. Et quicquid dicatur,  
impossibile est idem fuisse initium duratio-  
nis utriusque, si vna prius extitit, priusque  
cepit durare quam altera, ut volunt Ad-  
uersarij: quemadmodum natura humana di-  
citur ibidem, fuisse non simul ab initio tem-  
poris, sed post condita.

Neque dicant Aduersarij, non omnem na-  
turam corpoream fuisse primo instanti, vel  
primo die conditam: sed plurimas quinque se-  
quentibus diebus: ideoque particulam, *simul*,  
non posse sumi à Concilio eo sensu & eo ri-  
gore, quo volumus. Respondeo enim Con-  
cilium non dicere totam naturam corpoream  
fuisse simul conditam cum Angelica, ipso  
temporis initio: sed loqui indefinite, & esse  
intelligendum de natura corporea, tunc  
condita quoad coelum, & quoad elementa  
quædam ex quibus cætera omnia corpora &  
corporea facta sunt ut habetur Genes. 1.

Conferunt Molina q. 61. art. 3. conten-  
dēs id esse de fide, Cornelius à Lapide in Pê-  
tateuchum, ad verbum primū Genes. in fine,  
aies post Lateran, non tantum id esse proba-  
bile, sed fide certū, Ferrar. 2. cōtra Genes.  
cap. 83. in fine, & S. Thom. opusc. 23.  
Cum autē scripsit articulum 3. q. 61. proba-  
bilis est tunc ignorasse recētem adhuc defini-  
tionem Lateran. quam postea licet notā  
habuerit in eamq; opusculū supra citatum  
ediderit, quod verū & germanum esse con-  
tra Vasquem tūctur Caietanus, Basses, Pere-  
rius, Molina & alij: correctionem tamen il-  
lius loci, & totius Summæ recognitionem ad  
finē, quem mors præuenit, referuabat. Suffi-  
ciens autem fundamentum sic definiēdi Con-  
cilio esse potuit Scriptura locis ante citatis,  
melius expensis à tempore D. Augustini, quam  
olim ab antiquis illis philosophiæ Platonice  
nitiūm adherentibus. Nec obest quod  
Nazian. vnus è præcipuis sententiæ aduersæ  
patronis in officio Romano, nono Maij, di-  
citur id affectus iudicio doctorū hominum  
sanctorūq; ut nihil in scriptis eius nisi, ex  
veræ pietatis & religionis regula reperiatur,  
nemo possit quicquam iure vocare in dubiū.  
Neq; enim id de illo affirmatur per infalli-  
bile iudiciū Ecclesiæ, sed referunt dumtaxat  
quid de illo iudicauerint & dixerint viri docti  
& sancti: quorum tamen iudicium non red-  
dit certa & indubitata omnia illius scripta.  
Alioqui non omnes Theologi, & Catholici  
communiter, hanc eius sententiam impro-  
barēt, quam sine errore aut temeritate de-  
fendi posse, vix præter Vasquem vllus affir-  
mat. Qui non satis coherentè ratiocinatur,

cum propter Verba Lateranensis superius ci-  
tata dicit esse quasi definitum Angelos esse  
incorporeos, neque sine temeritate contra-  
riū affirmari posse: & tamen negat esse pari-  
ter certū productos simul cum mundo fuisse,  
cū tamen id non minus disertè affirmetur  
in eadem definitione, eademque periodo.

Ad primum autem pro Græcorum opinio-  
ne argumentum, Respondeo Pauli sensum ad  
Titum 1. esse, quod Deus promiserit ab æ-  
terno in decreto, id est, decreuerit promit-  
tere, vel etiam re ipsa promiserit, ante tem-  
pora æternā aut secularia, id est, multis ante  
sæculis, Adæ, Abrahamo, & alijs, vitam æ-  
ternam, per Christum diu post manifestata.

Ad secundum Respondeo sententiam ibi  
esse de sapientia diuina, quæ dicitur creata  
larē, id est, producta (licet non causata) ex  
nullo subiecto realiter & educiue concu-  
rente: ut exponunt Hilarius lib. de Synodis  
num. 5. Athanas. serm. 3. contra Arianos.  
Simili modo sumitur verbum, *creauit*. Pro-  
uerb. 8. v. 22. vbi vulgata habet, *Possedit*: &  
Ecclesiast. 24. v. 10.

Ad tertium dico Iob ad literam loqui de  
Elephate, aut alio simili animali, quod dicitur  
*Principium viarum Dei*, id est, ut exponit  
Pineda ibidem, caput, & primū, vel præci-  
puum dignitate, non inter omnia Dei opera  
simpliciter, sed inter animalia bruta. Nec  
obest quod multi Patres eodem loco per Be-  
hemoth intelligunt Luciferum: quanquam  
non omnia ibi dicta de Behemoth, possunt in-  
li aptè accommodari. Nam Lucifer quoq; di-  
ci potest principium viarum Domini digni-  
tate, licet non prius duratione: iuxta proba-  
bilem opinionem plurimorum Patrum, qui  
Luciferum putant primum Angelorum  
fuisse: Prius creatus extitit ordinis prælatione,  
non temporis quantitate, ait Beda q. 9. ex varijs,  
post Isidorum lib. 1. de Summo bono c. 12.  
Quod autem ibidem additur de Leniatan v.  
20. & toto cap. 41. intelligendum est ad li-  
teram de Cete, vel ingenti alio animalis qua-  
tico. Neque obest, quod dicitur, *Ipse est rex  
super vniuersos filios superbie*: id est, phrasū  
Hebræicam, super vniuersa animalia superba,  
magna, robusta. Sensus enim est, quod ipse sit  
superbissimū, id est, maximum & robustissi-  
mū animalium. Vel ut vertunt Septuaginta,  
*Ipse est rex omnium quæ sunt in aquis*.

Ad quartum Respondeo, sicut homo, quam-  
uis nobilior rebus alijs corporeis, non debuit  
prius illis creari: sic neq; Angelus ante mun-  
dum corporeum, quāuis illo nobilior. Deoq;  
fuit liberum vnum præ alio, & prius aliq;  
creare, prout voluit, in his omnibus, in qui-  
bus non erat dependētia essentialis vnus ab  
alio. Ratio verò Genadij & Cassiani si va-  
leret, probaret Angelos fuisse creatos ab æ-  
terno: ne alioqui Deus infinito tempore à  
parte ante creatus sit. Ac est de fide nihil  
præter Deum ab æterno fuisse: adeoq; Deum  
per æternitatem oriatum fuisse quoad nega-  
tionem productionis ad extra: licet non quo-  
ad productiones & actus internos.

25  
Respondeo  
tur coram  
argumen-  
tis ex  
Script.

Hilar.  
Athanas.

26

Bedā  
Isidor.

27

23

24  
Molina

Ferrat.  
D. Thom.